Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 1009

Quelle:
Copyright:

VI. *fol.* 164. p. 2. Alii duo *Sermones* ἀνεπιγραφοι, quorum Autores fruſtra indagavi. Prior impiorum et piorum conditionem in morte exhibet inducendo eos cum malis et bonis geniis ſermocinantes. Initium eſt: *Primum decet uos audire iuſticiam* &c. Finis: *Iuſti autem in uitam eternam.* Alter imaginem boni et mali Chriſtiani adumbrat hoc initio: *Gaudemus fratres kariſſimi et deo gracias agimus ſecundum deſideria noſtra incolomes uenire meruimus* &c. Ultima ſunt: *de qua pena nos pius dominus liberare dignetur qui cum patre* &c. Neuter magni momenti.

VII. *fol.* 166. p. 2. legitur: *Anno dominicae incarnationis. DCCCLXXI Indiccione IV. XV. Kl. F. Uuillibertus ad epiſcopum conſecratus. Eodem anno menſe iulio. VII id. iul. fulm. ictus. col. prima fr.* Anno LXX. conſecrationem *Williberti ſ. Weriberti* Ep. *Colonienſis* adſignat *Aeg. Gelenius* L. I. *de Coloniae Magnitud.* p. 43. Quis vero ille *Coloniae fulmine ictus?* Non ſane *Willibertus.* Si quid ſuſpicari licet, imperfectam reliquit notam hanc chronologicam Librarius, ut patet inſpicienti codicem, addendumque erat: *Guntherus* ſeu *Guntharius Williberti* anteceſſor a *Nicolao* I. fidelium communione privatus, de quo *Gelenius* l. cit.

Guntherus ſenſit Romana fulmen ab arce.

Is enim anno et menſe ſupradictis obiit, die nobis 9. *Gelenio* 8.

Notam hanc mox ſubſequitur Formula *Manumiſſionis* ea lege, ut quis *in natale domini ſiue in paſca dare atque transſoluere* debeat *tantum unam tremiſatim de cera in luminaribus ad eccleſiam beati petri apoſtolorum principis, que conſtructa infra muros colonie.* De hac eccleſia *Gelenius* L. III. p. 403. De voce *Tremiſatis*, quae tertiam partem *Aſſis* indicare videtur, confer *Ducangium* in edit. *Maur.* v. *Tremiſſis.*

VIII. *fol.* 167. abſque titulo: *Theodulphi Ep. Aurelianenſis Capitula ad Presbyteros Parochiae Suae*, primum a *Baronio* ad an. 835. edita, a variis dein, ut videre eſt in *Bibl. Fabricii* L. 19. repraeſentata usque ad *Harduinum*, in cujus *Collect. Concil.* leguntur T. IV. *col.* 911. Initium: *Obſecro uos fratres dilectiſſimi ut erga ſubditarum plebium profectum* &c. *Harduinus* Capitula numerat XLVI. ſed *Codex* noſter cum ejus Capitulo XLI. deficit. Cenſet tamen Capitula XXXVIII. hac ratione: XV. et XVI. in unum contrahit, XIX. non agnoſcit, XXXVI et XXXVII. rurſus ſub uno comprehendit. Lectio non raro variat. En aliquot ſpecimina: *Cap.* II. Hard. *vita viri iuſti lectione inſtruitur, ornatur.* Noſter: *Oratione ornatur. Cap.* III. Hard. *quem a lectione ſive ab oratione vacantem inuenerit.* Noſter: *ſive*